

(62) JOHANNIS PETRI BELLORII

FIGVRA XXX.

JONAS SUB CUCURBITA. Ex mysteriis, quæ continentur præcedente Lucerna Pastoris Boni, repetimus in hacce Jonam, qui nudus jacet sub Cucurbita, quiescens post toleratos labores. Apparet illa hic distinctius per magnitudinem suam, ad tollendum omne de Jona dubium; cum alii per nuditatem decepti, putaverint esse Venerem, expositam ad lasciviam. Insuper non animadverterunt ad salutiferum Monogramma Nominis Christi, quod acceperunt pro Rota. Videatur Licetus. Lucerna pensilis est ex are, similis aliis, quæ impressæ sunt. Delineatio servatur apud D. Petrum Sanctium Bartolium.

FIGVRA XXXI.

NAVICULA SANCTI PETRI. In hac Lucerna repræsentatur mystica Navis S. Petri, quæ est Sancta Ecclesia instituta à Christo. In summitate mali legitur titulus *Valerii Severi*, ad quem pertinet Lucerna: **DOMINUS LEGEM DAT VALERIO SEVERO.** Sed diversæ sunt interpretationes. Videtur hic, relicto Gentilismo, novam accepisse Legem à Domino, datam ab ipso Ecclesiæ suæ; & erroribus discussis Christus eum duxisse in rectum tramitem navigationis. In hunc sensum accipi possunt verba Davidis, *Psalmo xxiv. Dulcis & rectus Dominus: propter hoc Legem dabit delinquentibus in via:* ut intelligamus illa non modo de peccatoribus, sed etiam de aliis promiscue, qui aberrant à recta via Evangelii. Dubia restat etiam cognitio duarum Imaginum habitu Apostolico, quæ in Navi sunt. Quidam credit illam, quæ ad gubernaculum sedet esse Sancti Petri, allegans auctoritatem Sancti Bonaventuræ, *Serm. x. in Domin. iv. Pentec. Navis Simonis est Ecclesia Simoni commissa.* Altera Imago, quæ in prora stat, videtur esse Christi, prædicantis illis, qui errant in salo naufragæ vitæ hujus. Nihilominus quidam arbitrat, regimen navis melius referri ad Christum, qui sibi elegit navim Petri; & illam Mosis deseruit: *Petri navim eligit, Mosis deseruit, hoc est, spernit Synagogam perfidam; fidelem assumit Ecclesiam,* dixit Sanctus Ambrosius, *Sermone x.* loquens de Christo. Non omittenda est erudita interpretatio Michaëlis Angeli Causei de hac Lucerna, in *Museo suo Romano,* & erudito *Tthesauro Antiquitatum,* qui formavit argumentum duorum verborum, quæ restant in titulo: **EUTROPI, VIVAS;** quod precari solebant morientes amicis suis carioribus, & propinquis: quasi Valerius Severus instructus ad Religionem Christianam, constanti animo exceperit mortem, tanquam Legem à Domino impositam, Eutropio longiorem vitam optans: *Mortem, tanquam Legem sibi à Domino impositam, constanti animo expectans, longiorem Eutropio vitam optat.* Hæc insignis Lucerna eruta est ex ruinis Montis Caelii, in hortis D. D. Morellorum, contiguis Sancto Stephano Rotundo; ubi inventæ sunt multæ Statuæ & Marmora felicitum Imperii temporum. Morabatur hoc tempore Romæ Cardinalis, Leopoldus Medicus, qui hanc Lucernam cum aliis raris ornamentis Florentiam detulit.

Restant duæ Lucernæ Hebraicæ, quas hic apponimus complementi loco.